



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Quòd sicut finis non gaudio bonorum, sic finis non est tormentis malorum.
lxi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

non emendatur. De quo videlicet peccato per Ioannem dicitur: Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis. Peccatum nanque ad mortem est: quia scilicet peccatum quod hic non corrigitur, eius venia frustra postulatur. De hoc adhuc subditur: Obliviscatur eius misericordia. Omnipotentis Dei misericordia obliuisci eius dicitur, qui omnipotentis Dei iustitiã fuerit oblitus. Quisquis eũ nũc iustum non timet, post inuenire non valet misericordem.

*Vt omnes animæ electorum credendæ sint esse in cælo,
& iniquorum animæ in inferno. Cap. LX.*

Ex dialo. Gregorij. **I**nquisitioni meæ iam video sufficienter satisfactũ, sed hoc est adhuc quod quæstione animum pulsat. Quia *Petrus in interrogat.* cum superius dictum sit esse iam sanctorum animas in cælo: restat proculdubiò, ut iniquorũ quoque animæ esse non nisi in inferno credantur, & quid de hac re habeat, veritas ignoro. Nam humana æstimatio nõ habet, peccatorum animas posse ante iudicium cruciari. Si esse sanctorũ animas in cælo sacri eloquii satisfactione credidisti, oportet *Respõsio Gregorij.* ut per omnia esse credas iniquorum animas in inferno: quia ex retributione æternæ iustitiæ, ex qua iam iusti gloriãtur, necesse est per omnia, ut & iniusti crucientur. Nam sicut electos beatitudo lætificat, ita credi necesse est, quod à die exitus sui, ignis reprobos exurat.

Quod sicut finis non est gaudio bonorum, sic finis non est tormentis malorum. Cap. LXI.

Ex dialo. Gregorij. **N**unquid nam quæso te dicimus eos, qui semel illic *Int. Pet. Gre. ref.* merfi fuerint, semper arduos? Cõstat nimis, & incũstanter verũ esse: quia sicut finis non est gaudio bonorum, ita finis non est tormentis malorum. Nam cum veritas dicat: Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autẽ in vitam æternam: quia verũ est quod promisit, falsum proculdubio non erit quod minatus est Deus.

Quod ita non sit, ut quidam affirmant, quod Deus ob hoc minatus sit, æternam pœnam peccantibus, ut corrigeret à malis. Cap. LXII.

Ex dialo. Greg. Petr. inter. Gre. ref.

QUID si quis dicat, idcirco Deus peccantibus æternam penam minatus est, ut eos à peccatorum perpetratione compesceret? Si falsum est quod minatus